



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

11. In Adamo duplex Dei similitudo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

naturalem, ac humidum radicale, ea perfectione, quae in virilis aetatis statu esse solet, restaurare; conficitur, quotiescumque Adam fructu illo usus esset, corpus eius semper reflorescere, atque ita cum aeternum sine senio vivere potuisse; vel, si non in peccatum lapsus esset, donec Deo placuisset ipsum ad beatioram vitam in caelum transferre.

In tali non agro, sed horto, Creator hominem initio posuit, ubi neque labor, neque senium, neque morbus, neque mors, neque taedium ullum; sed omnia terrae bona sponte & abunde proveniebant; ubi passim oculis simulque; naribus adblandiebantur panace, nepenthes, amaracus, ambrosia, lotus, rosa, viola, hyacinthus, & Elysij campi. Atque in his quidem positi delicijs Adam & Eva nequaquam a fletu sunt auspicati vitam, sed protinus decorissimo mundi aspectu exhilarati suam felicitatem; & in hac ipsa quoque tam beata habitatione, quandam Numinis imaginem, Numinis, inquam, unde quaque beati, agnouerunt. Quamquam & alia Numinis imago homini est impressa, quam S. Bernardus etiam atque etiam monet intuendam, dum ait: *Intellige dignitatem tuam, nobilis creatura, quoniam non solum insignita es Dei imagine, verum etiam decorata similitudine.* Et iterum: *Quid maius his tibi facere potuit, quam ad similitudinem suam conderet factor tuum? Attende igitur diligenter prima conditionis tuae excellentiam, & veneranda Trinitatis imaginem in te ipsa agnosce.* Quin, ut doceat, quid sit ista Numinis & hominis vel imago, vel similitudo, addit: *Considera nobilitatem tuam, quod, sicut Deus ubique est totus, omnia vivificans, omnia movens & gubernans: & sicut Deus, est, vivit, & sapit; ita tu secundum modum tuum, es, vivis, & sapis: & sicut in Deo tres sunt personae, Pater, Filius, & Spiritus sanctus; sic tu habes tres vires, scilicet intellectum, memoriam, & voluntatem.*

Principes si rem quampiam vel saluam volunt, vel honoratam, insignia sua illi appendunt, sigillum imprimunt, ne violetur. Ita ex divina imagine homini a Deo impressa, intelligimus, quantum in eum divinae auctoritatis, dignitatis, maiestatis voluerit, derivare. Sua eum imagine insigniuit, ut ei caelum & terra servire, ut Angeli ministrare, ut bestiae obedire non dedignarentur, ut ipsi atri daemones nocere non auderent; denique similem eum

XI.

S. Bernard. de  
interna do-  
mo. cap. 67.

XII.

sibi